Conspectus Fasciculi tertii et quarti.

Divisio secunda. Foliis digitatis, caule foliifero piloso, (nec pruinoso neque glanduloso), aculeis conformibus *).

Fasc. III.

I. Corylifolii, inflorescentia laxa abbreviata, umbellata vel paniculata, foliis in plerisque subtus concoloribus pubescentibus.

9. Foliis ternato-digitatis, floribus subumbellatis, fructu rubro:
Rubus saxatilis Lin. Tab. IX.

10. Foliis ternato-digitatis, floribus paniculatis, fructu nigro:
Rubus Sprengelii. Tab. X.

11. Foliis quinato-digitatis obovato-cuneatis, paniculae ramis paucifloris corymbosis, caule tereti hirsuto:
Rubus Schlechtendalii. Tab. XI.

12. Foliis quinato-digitatis cordatis **) subsimpliciter serratis, panicula contracta pauciflora,

α. petalis calicem aequantibus:
Rubus macrophyllus. Tab. XII.

β. molliter pubescens, petalis calice longioribus:
Rubus macrophyllus velutinus. Tab. XII. β.

13. Foliis quinato-digitatis inaequaliter duplicato-serratis, panicula patente

α. multiflora:
Rubus carpinifolius. Tab. XIII.

β. subsimplici:
Rubus carpinifolius roseus. Tab. XIII. β.

14. Foliis quinato-digitatis ovato-orbiculatis subcordatisve duplicato-patenti-serratis, panicula laxa pauciflora, caule foliifero sparsim piloso,

α. panicula patente, foliis subtus canescentibus, floribus albis:
Rubus vulgaris viridis. Tab. XIV.

β. panicula contracta, foliis extrorsum latioribus subtus viridibus, floribus roseis:
Rubus vulgaris umbrosus. Tab. XIV. β.

---

*) In priori Fasciculo huius operis p. 12 ad characterem Primae Divisionis haec eadem verba addantur: »(nec pruinoso) aculeis conformibus.«

**) In definitione, ubicunque foliorum forma describitur, foliolum medium intelligas foliorum caulis sterilis.

γ. panicula patente pauciflora, foliis cordatis subtus villosulis, floribus pallide roseis:
Rubus vulgaris glabratus. Tab. XIV. γ.

δ. panicula composita flexuosa, foliis elliptico-rhombeis subtus pubescenti-canis, floribus roseis:
Rubus vulgaris rhombifolius. Tab. XIV. δ.

ε. panicula contracta, foliis obovatis subtus villoso-tomentosis, floribus albis:
Rubus vulgaris mollis. Tab. XIV. ε.

Fasc. IV.

II. Candicantes, inflorescentia elongata racemoso-paniculata, foliis (quinato-digitatis in omnibus) subtus plerumque pubescenti-vel tomentoso-discoloribus.

15. Foliis obovato-cuneatis acutis subtus concoloribus, panicula sublaterali patente:
Rubus silvaticus. Tab. XV.

16. Foliis subcordato-ovatis longe acuminatis subtus pubescenti-canis, paniculae multiflorae contractae ramis corymbosis:
Rubus pubescens. Tab. XVI.

17. Foliis orbiculato-subcordatis acuminatis argute duplicato-serratis subtus canescenti-hirsutis, panicula patente aculeatissima:
Rubus villicaulis Koehler. Tab. XVII.

18. Foliis cordato-orbiculatis duplicato-serratis subtus pubescenti-canis mollibus, panicula contracta, caule foliifero sparsim piloso aculeatissimo:
Rubus macroacanthus. Tab. XVIII.

19. Foliis obovato-orbiculatis acuminatis subtus argenteo-canis, panicula contracta pauciflora:
Rubus argenteus. Tab. XIX.

20. Foliis suborbiculatis subtus albido-tomentosis, panicula racemosa contracta multiflora:
Rubus discolor. Tab. XX.

---

9. Rubus saxatilis. *Stein-Brombeerstrauch.* Tab. IX.

R. caule subherbaceo flagelliformi prostrato inermi piloso, foliis ternatis obovatis grosse inciso-serratis pubescentibus, floribus fasciculatim umbellatis petalis oblongis.

Synonyma. Rubus Idaeus, fructu Rubi fere, absque ullis spinis. Gesn. Hist. Mont. fracti p. 63.

Rubus alpinus humilis. id. Hort. Germ. ap. Cord. fol. 277.

Rubus parvus saxatilis alpinus. Camer. H. med. p. 149.

Rubus minimus, seu Rubus alpinus Gesneri. Thal. it. Herc. p. 109.

Rubus saxatilis sive petraeus Clus. Pan. I. c. 83. p. 117. (Descriptio optima).

Rubus saxatilis Ger. ed. Johns. 1273. — Parkins. Theatr. 1014.

Rubus alpinus humilis Joh. Bauh. Hist. II. p. 61. — Chabr. sciagr. p. 109. — Pluck. Alm. p. 325. — Rupp. Jen. ed. II. p. 142. — Dill. Gies. p. 56. — Mapp. Als. p. 272.

Chamaerubus saxatilis Jonst. Dendrogr. p. 272. tab. LXXIV. — C. B. Pin. p. 479. — Ray. Syn. p. 94. (Rubus saxatilis Ger.)

Rubus caule herbaceo, foliis glabris ternatis, acinis paucissimis. Hall. Helv. n. 1111. — Gm. Fl. Tubing. p. 154.

Rubus caule repente annuo Lin. Fl. Lapp. p. 206. — Roy. Lugdb. p. 214.

Rubus saxatilis, foliis ternatis nudis, flagellis reptantibus herbaceis. Linn. Syst. Pl. ed. Reich. II. p. 536. 12. Fl. Suec. ed. II. p. 173. 447. Sp. pl. ed. Willd. II. p. 1088. — Pers. Syn. II. p. 52. — Scop. Carn. ed. I. p. 590. ed. II. n. 614. — Leyss. Hal. p. 93. — Mattusch. Sil. n. 360. — Gorter. Ingr. p. 79. — Jacq. Austr. p. 39 et 245. Vindob. 245. — Crantz Austr. p. 82. Instit. p. 182. — Fl. Dan. t. 134. — Müll. Friderichsd. p. 92. — Reich. Fl. Moenofr. p. 191. — Doer. Nassov. p. 269. — Moench. Hass. p. 426. — All. Pedem. II. p. 133. — Pall. iter. I. p. 72. Fl. Ross. p. 130. — Roth. Fl. Germ. I. p. 220. II. p. 565. — Schrad. Spicil. p. 34. — Wib. Werth. App. p. 551. — *G. M. u. Sch. Flora d. Wetterau* II. p. 238. — Hoffm. Fl. Germ. II. p. 177. — Willd. Arb. p 327. — Schultz Starg. p. 131. — M. B. Taur. Cauc. I. p. 402. — Besser Fl. Gal. I. p. 327. En. p. 21. Schw. et Kört. Fl. Erl. p. 123. — Wallr. Ann. bot. p. 70. — Lehm. Wurceb. n. 428. — Hell. Fl. Wurceb. Suppl. p. 47. — Lam. Fl. Fr. p. 133. — Lam. et Dec. Fl. Fr. IV. p. 473. — Lois. Fl. Gall. I. p. 298. — *Lejeune Flore de Spa*, II. p. 318. — Wahlenb. Fl. Ups. p. 172. n. 331. — Engl. bot. t. 2233. — Lightf. Scot. p. 265. Hook. Fl. Scot. p. 161.

Rubus saxatilis, foliis ternatis glabriusculis, flagellis reptantibus herbaceis, panicula pauciflora. Smith. Brit. II. p. 544.

Rubus saxatilis, foliis ternatis nudis, flagellis reptantibus herbaceis, acinis baccarum distinctis. Gm. Bad. 770. — Dierb. Heidelb. II. p. 145.

Rubus saxatilis, flagellis reptantibus, caule obtusangulo, foliis ternatis rhombeis acutis inciso-dentatis nudis, pedunculis subternis elongatis, petalis linearibus. *Spr. u. Dec. Gr.* p. 513. — *Hayne Dendrol. Fl.* p. 109. — *Guimp. u. Hayne Abb. d. deutsch. Holzarten.* 18. p. 138. tab. 104.

β. canadensis: herbaceus, pubescens, flagellis reptantibus, foliis ternatis rhombeis acutis, inciso-dentatis nudis, impari petiolato, floribus subternis, pedicellis elongatis, (fructu nigro). Mich. Fl. Am. bor. I. p. 298. — Pursch. Fl. Am. sept. I. p. 349. — Pers. Syn. II. p. 52., diversa species videtur.

Icones. Clus. l. c. (fida.)
Ger. l. c.
Parkins. l. c.
Joh. Bauh. l. c. (distincta.)
Chabr. l. c. (Icon. Bauh. repetita.)
Jonston l. c. (eadem figura.)
Fl. Dan. l. c. (elegans.)
Engl. bot. t. 2233.
Guimp. et Hayne l. c. (bona.)

Nomina: Germ. *Steinbeere*, *Brunitschen*. Dan. *Fruebär*. Norweg. *Tegebär*, *Tejebär*, *Tägebär*, *Klasebär*. Isl. *Hrutaber*, *Skollareip*. Suec. *Jungfrubär*. Upland. *Jungfru Mariä Bär*. Dal. *Stenbär*. Hels. *Käbär*. Scan. *Kobär*. Bah. *Tagbär*. Rosl. *Klasbär*, *Krasbär*. Smol. *Klosen*, *Kotten*. Angl. *Stone bramble*. Scot. *Roebuckberry*. Gal. *Kavrabada Miann*, *Ruitega*. Ross. *Kostäniza*. Estn. *Tillakad*, *Kunnuskad*. Finl. *Liluka*.

Descriptio.

Surculus sterilis pennae corvinae crassitie, pedum 4—5 longitudine, decumbens, maximamque partem sub foliis deciduis latens, apiceque demum agens radices, angulosus, pilosus, aculeis raris tenuibus herbaceis inspersus. Textura magis, ac reliqui plerique, herbaceus est, quo fit, ut hieme ad radicem usque pereat, ibidemque, parte brevissima eius superstite, sequente vere novam emittat sobolem.

Folia ternata. Petioli satis longi, basi amplexicaules et post lapsum nodulum in caule relinquentes, pilosi. Stipulae lanceolatae, cum petiolo caulem amplectentes. Foliola ovata, inciso-serrata, in latere superiori fere glabra, in inferiori pilosula.

Surculi florigeri e caule ad collum radicis residuo erecti, pilosi aculeatique. Folia in his circiter quinque, caulis sterilis foliis similia, quorum supremo opposita nascitur umbella parva, petiolo brevior, quinque-decemflora, pedicellis etiam brevibus valde aculeatis basi bracteatis. Calicis laciniae tempore florescentiae reflexae. Petala alba vel rubescentia. Acini (seu drupeolae) fructus parci, rubri.

Crescit variis in locis Germaniae per silvas montanas, solo calcareo.

Rubus fragarioides Bohemiae, a Rubo saxatili vix, nisi defectu surculorum sterilium differre dicitur. Cuius equidem picturam linearem tantum vidi, sed eam, quae maxime suaderet coniunctionem.

---

10. Rubus Sprengelii. *Sprengels Brombeerstrauch.* Tab. X.

R. caule decumbente subanguloso aculeato sparsim piloso, ramo florifero dense villoso, foliis ternatis ovatis subcordatis supra glabriusculis subtus pilosis, caulis floriferi utrinque pilosis, paniculae ramis elongatis divaricatis paucifloris.

Synonyma. Rubus Sprengelii Weihe. *Bot. Z.* Ann. II. 1819. p. 17.

Rubus suberectus a Baer, ibid. Ann. IV. p. 411?

Rubus caesius var. b. Sprengelii. *Ficinus Fl. v. Dresd.* I. p. 340.

Descriptio.

Surculus sterilis sex-decempedalis, quadrantem pollicis crassus, teretiusculus, simplex vel ramosus, plerumque decumbens graminibusque et foliis deciduis tectus, solis foliis eminentibus, virescens aculeisque et pilis armatus. Aculei satis conferti, triceni circiter in singulo internodio, angulorum caulis obsoletis vestigiis inserti, plerumque solitarii, rarius gemini vel terni, mediae magnitudinis, (2‴ longi, 1‴ ad basin lati), uncinati (basi rectiusculi, apice incurvi), virides apicibus pallidioribus.

Pili sparsi, centeni *) circiter, solitarii vel gemini ternive, patentes, breves et rigidi, lentis vitreae auxilio in epidermide lineolae tenues, vix elevatae, inveniuntur, nec non et glandulae minutae, cauli arcte impositae, hae autem non nisi in plantis, aprico solo nascentibus, nec unquam in silvaecolis.

Folia alterna, plerumque ternata, rarissime lusu quodam naturae quaternata vel quinata. Petiolus communis duos pollices cum dimidio longus, supra planus, subtus convexus, aculeis brevioribus aduncis parcius, pilis autem brevibus rigidisque dense obsitus, apice geniculatus. Petioluli laterales vix duas lineas longi; medius pollicis longitudine apiceque hic etiam geniculatus, quo foliolum sursum inflectitur. Stipulae ad basin petioli duae, angustae, pilosae, in margineque sparsim glandulosae. Foliola lateralia ovata, deorsum producta vel in quibusdam biloba. Medium foliolum ovatum, basi vix cordatum; haec atque illa cuspidata, inaequaliter dentato-vel inciso-serrata, serraturis mucronatis, utrinque pilosa, subhirta, laxa, saturate viridia.

Caules florigeri laxi et tenues, erecti, aculeis brevibus valde aduncis rarioribus eoque densioribus pilis patentibus brevibus rigidisque tecti. Folia huius surculi sterilis illius foliis similia, foliolis tamen minoribus ellipticis minusque cuspidatis. Cum panicula plerumque folium prodit simplex, solitarium, ovatum vel lanceolatum, quod bracteae sequuntur bi-vel trifidae. Paniculae rami inferiores e superiorum foliorum axillis erecti, corymbosi, pauciflori, ramulis omnibus pedunculisque apicis paniculae, ubi folia finiuntur, divaricatis, quibus panicula existit, (praesertim locis silvaticis, ubi crebrius in ramos dividitur,) laxa, effusa atque divergens. Pedunculi tenuissime tomentosi, aculeis armati subtilibus, interdum glandulis quoque, sub tomento latentibus, inspersi.

Flores mediocres. Calix pilis brevibus patentibus rigidis dense vestitus, laciniis longe cuspidatis, in fructu maturo patentibus. Petala plicata, rosea, diutius persistentia. Fructus e minoribus, atri et nitidi, aciduli, diuque inhaerentes paniculae, ob laxitatem dependenti. Varietates huius, nisi quod ad foliolorum numerum attineat, non invenimus.

Abundat in Principatus Mindensis dumetis ac silvis, nec non in sepibus; etiam in Comitatu Ravensberg, in Episcopatu Paderbornensi et in Arensbergensi districtu eum reperimus. Prope Erlangam invenit Cl. Raab, misitque a Fonte Tungrorum clarissimus Lejeune. Prope Regiomontum, a Baer?

Densa frondosaque surculorum silva stipatus, laetissime floret mense Iulio grato oculorum spectaculo, silvisque tanquam rosarum coronas intexit.

---

*) De internodio intelligas distributiva numeralia.

11. Rubus Schlechtendalii. *Schlechtendals Brombeerstrauch.* Tab. XI.

R. caule decurvo teretiusculo aculeato piloso, foliis quinatis obovato-cuneátis cuspidatis utrinque pilosis (caulis florentis subtus velutinis), panicula composita subcorymbosa contracta ramis brevibus, calicum terminalium laciniis apice foliaceis subincisis.

Descriptio.

Caulis sterilis arcuatim decurvus, decem ad quindecim pedes longus, quadrantem pollicis crassus, teres vel subangulatus, simplex vel ramosus, viridi fuscoque tinctus, striolatus pilisque et aculeis vestitus, parum lignosus. Aculei sparsi, quindeni circiter, solitarii vel geminati, tres lineas longi, ad basin duas lineas lati, recurvi, basi purpurei, apice sordide flavicantes, molliusculi neque admodum pungentes. Setae herbaceae nullae. Pili densi, patentes, albi, micantes, versus apicem caulis in tomentum abeuntes.

Folia alterna, quinata. Petiolus communis tripollicaris, trigonus, geniculatus, aculeolis raris aduncis pilisque patentibus densis vestitus basique stipulis duabus angustis subfoliaceis ciliatis auctus. Petiolorum partialium medius pollicem unum, qui sequuntur pollicem dimidium, laterales duas lineas longi, aculeati pilosique, sicut petiolus communis. Foliola lateralia ovato-oblonga, tria intermedia autem obovato-oblonga, longe cuspidata, inaequaliter mucronato-serrata, plana, supra pilosa, pilis erectis rigidulis, subtus molliter pubescentia, viridia, laxa ideoque apice plerumque nutantia. E maioribus generis sunt folia huiusce speciei, cum foliolum terminale haud raro quinque vel sex pollicum longitudine sit et latitudine conveniente.

Caules florigeri, propterea quod surculi plerique hornotini hieme ad radicem usque pereunt, saepissime ab ipsa radice ad pedum trium vel quatuor altitudinem assurgunt; angulosi sunt et undique pubescentia densa patente vestiti, inspersis aculeis raris solitariis longis recurvis mollibus. Folia huius surculi inferiora quinata, media ternata, apicem versus abeunt decrescendo in bracteas foliaceas. Foliola magis, quam in caule sterili, rotundata. Paniculae rami patentes, inferiores e foliorum superiorum axillis paniculati, superiores corymbosi, singuli iuxta basin bractea simplici foliacea stipuligera. Bracteae partiales sub ramulis angustiores, foliaceae, etiam stipuligerae; propriae sub pedunculis angustissimae, simplices. Pedunculi calicesque tomentosi et setoso-muricati. Calicis laciniae longe cuspidatae, a fructu maturo reflexae; floris autem terminalis ebracteatique laciniae apice, rosarum more, abeunt in appendices foliaceas incisasque. Corolla ampla, mali florum magnitudine, amoena, petalis albis, staminibus roseis. Fructus inter maximos huius generis censendi sunt, cylindrici, nigri, sapidissimi.

Crescit variis in locis Principatus Mindensis, v. c. in vicinia urbis Mennighüffen *(im Becker Bruch)* aliisque.

---

12. Rubus macrophyllus. *Grossblättriger Brombeerstrauch.* Tab. XII.

R. caule decurvo anguloso aculeato parce piloso, foliis subquinatis cordato-orbiculatis subsimpliciter mucronato-serratis, supra glabriusculis subtus velutino-hirtis, panicula composita, ramis erectis paucifloris.

VARIAT

α. petalis obovatis calicis lacinias aequantibus, et

β. velutinus, petalis obovato-ellipticis calicis lacinias longitudine excedentibus, foliis subtus densius velutinis.

DESCRIPTIO.

Caulis sterilis decem-quindecim pedes longus, semipollicem crassus, arcu descendens, angulosus, simplex vel ramosus, durus ac lignosus, virens vel purpurascens lineolisque et pilis vestitus aculeatusque. Aculei sparsi et solitarii, vel gemini et terni, plerique angulis impositi, deni-quindeni, sesquilineam ad duas lineas longi, semilineam vel unam lineam lati, modice recurvi, basi dilatata rubri, apice flavi, duri et vulnerantes. Setae herbaceae nullae. Pili sparsi, nec densi, breves, patentes.

Folia approximata, quinata vel ternata, foliolis lateralibus geminatis. Petiolus communis bi-tripollicaris, geniculatus, trigonus vel semiteres, una cum petiolis partialibus aculeis minoribus sparsis recurvis pilisque rigidulis patentibus vestitus. Stipulae angustae, ciliatae. Petiolulus medius semipollicaris-sesquipollicaris, qui sequuntur semipollicares vel breviores, laterales bilineares. Foliola lateralia extrorsum nonnihil dilatata, in foliis ternatis extrorsum bifida, vel ad petiolulum usque bipartita; intermedia *) basi obliqua, cuncta vero ovato-orbiculata, cordata, acuta, subaequaliter serrata, serraturis haud admodum profundis obtusiusculis cum mucronulo, in latere superiori saturate viridia parum pilosa, in latere inferiori subtomentosa, pallide viridia, coriacea. Etiam in hac specie foliola insigni magnitudine, quinque ad sex pollices longa satisque lata, inveniuntur.

Caules florigeri angulosi, pilis magis minusve distinctis aculeisque hinc inde raris adspersi, foliis alternis, plerisque ternatis, foliolis, quam in surculo foliigero, minoribus magisque rotundatis saepeque magis glabris. Petioli pilis tenuibus albis patentibus vestiti. Ubi panicula intrat, simpliciora oriuntur folia, quae, sensim sensimque diminuta et angustiora facta, demum in bracteas mutantur, basi et eas semper bistipulatas. Panicula brevis, conferta, inter folia superiora floralia fere occulta; e racemulis corymbisve brevibus, in foliorum superiorum axillis nascentibus, incipit, tum apicem versus evadit simplicior. Pedunculi hinc inde tenera herbaceaque seta inspersi, calicesque tomento subtili viridulo induti.

---

*) Foliola intermedia nuncupantur, quae medio (seu terminali) foliolo et foliolis lateralibus folii quinati utrinque interiecta sunt.

Calicis laciniae longe cuspidatae, a fructu maturo reflexae. Petala et stamina alba. — Fructus mediocres, atri, saporis subdulcis aciduli.

Varietates duas observavimus, quarum altera foliis caulis sterilis semper quinatis, caule florifero sparsim et minute piloso, panicula paullo magis composita, petalis obovatis calicem vix excedentibus, differt, altera, quam β. velutinum appellamus, distinguitur aculeis caulis foliigeri saepius geminis vel ternis rectiusculis, basi angustioribus (2. lin. longis, lineam dimidiam ad basin latis) pluribus (15) in internodio, foliis persaepe ternatis, foliolis lateralibus bifidis vel bipartitis ad petiolulum usque, petiolo communi semitereti, petiolis partialibus brevioribus (medio 1/2, intermediis 1/4 pollicis longis), caule florifero densius piloso, panicula angustiori minusque composita, petalis ratione latitudinis longioribus obovato-ellipticis calicem dimidio excedentibus.

Crescit in Principatu Mindensi, circa Mennighüffen, per dumeta et sepes sparsim, v. g. Var. α. trans *Ulenburg* ad dextram rivuli; Var. β. hac in regione rarior, copiosus autem in monte inter *Hüllhorst* et *Gehlenbeck*, ubi ab *Ahlsen* vico ascendunt.

---

13. Rubus carpinifolius. *Hainbuchenblättriger Brombeerstrauch.* Tab. XIII.

R. caule decurvo anguloso aculeato parcius piloso, ramo florigero piloso, foliis quinatis cordato-ovatis longe acuminatis argute duplicato-serratis, supra subpilosis, subtus velutino-canis, panicula composita, ramis patulis apice corymbosis.

Variat

α. foliolis plicatis, paniculae ramis floribus pluribus, petalis albis, et

β. roseus, foliolis planis in caule foliifero longius petiolulatis, caule florifero gracili, ramis paniculae valde patentibus, inferioribus racemosis, superioribus simplicibus.

Descriptio.

Caulis sterilis decem ad quindecim pedes longus, pollicis quadrantem ad dimidium pollicem crassus, arcu descendens, angulosus lateribus magis vel minus excavatis, simplex vel ramosus, viridis rubro irroratus (qua nota haecce species prae aliis eminet), lineolis tenuibus pilisque vestitus, aculeatus. Aculei secundum angulos caulis dispositi, solitarii vel gemini ternive, quindeni circiter, magis minusve recurvi, duas ad tres lineas longi, sesquilineam ad duas lineas circa basin lati ibidemque virides vel purpurascentes, apice flavi, duri etiam et vulnerantes. Setae herbaceae nullae interiectae. Pili breves, sparsi, alii patentes, alii incumbentes.

Folia alterna, quinata. Petiolus communis tripollicaris fere, trigonus, geniculatus, unaque cum petiolis partialibus aculeolis uncinatis pilisque intricatis, circa genicula magis confertis, satis dense indutus atque armatus. Stipulae in basi petioli duae, angustae, ciliatae, pilosae. Petiolorum partialium medius pollicem longus est, intermedii semipollicares, laterales bilineares. Foliolum medium e basi cordata ovatum, acuminatum; foliola intermedia ovata, acuta, basi subobliqua; lateralia ovato-oblonga, cuncta inaequaliter acute mucronato-serrata, in latere superiori staturate viridia, magis vel minus pilosa, in latere inferiori albido- vel cano-viridia, velutina.

Caules florigeri subangulosi, aculeis sparsis recurvis armati et pube molli patente vestiti. Folia in his alterna, inferiora quinata, superiora ternata, caulinis similia, nisi minora minusque acutis foliolis. Folium unum alterumve simplex, formae variabilis, accedit intra paniculam. Panicula in foliorum superiorum axillis incipit ramis longiusculis apice corymbosis paucifloris, desinit sursum pedunculis simplicibus. Bracteae lanceolatae, apice saepe trifidae, neque foliis similes. Pedunculi aculeolis herbaceis rectis flavis minutis armati unaque cum calicibus tomentosi.

Calicis laciniae acutae, in flore terminali nonnunquam appendice foliacea auctae, a fructu maturo reflexae. Corolla magnitudinis diversae, petalis staminibusque albis vel pallide roseis. Fructus satis magni, atri, saporis grati subdulcis aciduli.

Varietas α. foliis coriaceis, ut in Carpino plicatis, floribusque minoribus albis distinguitur.

In varietate β. flores maiores roseos videmus, praetereaque caulem sterilem sulcato-angulatum aculeisque maioribus (3 lin. longis, 2 lin. inferne latis) validioribus basi purpurascentibus, nec viridibus, armatum, pilisque semper patentibus, nunquam incumbentibus, vestitum, folia plana superne vix pilosa inferne albido- (nec canescenti-viridi-) velutina, flaccida, (nec coriacea,) calicis denique terminalis lacinias apice saepe foliaceo-appendiculatas.

In varietate α. folia caulis sterilis hinc inde senata vel septenata, vel laciniatis quoque foliolis gignuntur, etiam caulis florigeri folia variantur foliolis lateralibus bifidis vel omnibus incisis. Utramque varietatem panicula minus vel magis composita ludere, observavimus.

Crescit in Principatu Mindensi circa *Mennighüffen* magna copia, etiam in Ducatu Guestphalico ad monasterium *Keppel* occurrebat. Var β. circa *Mennighüffen* (*im Becker Bruch*) aliisque in locis obviam est.

---

14. Rubus vulgaris. *Gemeiner Brombeerstrauch.* Tab. XIV.

R. caule decurvo anguloso aculeato subpiloso, foliis quinatis ellipticis vel suborbiculatis basi obtuse cuneatis subcordatisve duplicato-patenti-serratis subtus pubescentibus, panicula composita patente pauciflora.

Occurrit.

α. viridis, foliolis ovatis vel ovato-orbiculatis basi parum angustioribus subtus pubescentibus subcanescentibus, paniculae patentissimae ramis inferioribus corymbosis superioribus subunifloris, floribus albis;

β. umbrosus, foliolis suborbiculatis extrorsum nonnihil latioribus supra glabriusculis subtus pubescentibus concoloribus, paniculae angustae subsimplicis ramis inferioribus racemosis, floribus parvis pallide roseis;

γ. glabratus, foliolis cordato-orbiculatis subtus villoso-pubescentibus molliusculis, paniculae ramis longiusculis subracemosis simplicibusve, floribus pallide roseis;

δ. rhombifolius, foliis elliptico-rhomboideis supra subpilosis subtus pubescenti-canis, paniculae flexuosae ramis plerisque divisis, floribus (maioribus) roseis;

ε. mollis, foliis obovato-vel orbiculato-cuneatis basi subcordatis subtus villoso-tomentosis canescentibus, paniculae angustae subsimplicis ramis inferioribus subracemosis, floribus albis.

Synonymon: Rubus hirsutus Presl. Del. Prag. p. 221?

Descriptio.

Caulis sterilis crassitie dimidii pollicis, decem ad viginti pedes longus, angulis magis minusve distinctis praeditus, simplex vel ramosus, arcu descendens, durus et lignosus, viridi purpureoque varius vel totus purpureus, lineolis, pilis rarioribus aculeisque vestitus. Aculei sparsi, solitarii, vel gemini ternive approximati, angulis praesertim impositi, quini, deni, ad triceni, reversi, magis minusve curvi, rarius rectiusculi, duas ad tres lineas longi, duas lineas lati, basi pallide purpurei apice sordide flavi, duri et vulnerantes. Setae herbaceae nullae interiectae. Pili sparsi, in planta soli exposita rarissimi.

Folia alterna, quinata. Petiolus communis tri-quadripollicaris, trigonus, una cum petiolis partialibus aculeis parvis aduncis armatus, pubescens, geniculoque densius pubescente instructus. Stipulae angustae, ciliatae, in basi petioli. Petiolorum partialium medius unum pollicem ad sesquialterum longus, intermedii semipollicares, laterales bilineares. Foliolum medium ovatum vel ovato-subrotundum et orbiculare, basin versus nonnihil angustius, magis vel minus aperte cordatum, reliqua obovata et obovato-oblonga; cuncta acuta, basi integerrima, reliquo margine inaequaliter duplicato-serrata serraturis mucronatis, in latere superiori pallide vel saturate viridia, subtus pubescentia vel etiam tomentosa, coriacea.

Caules florigeri subangulosi, magis vel minus dense pilosi aculeisque sparsis aduncis apicem versus longitudine crescentibus armati. Huius surculi folia in-

feriora plerumque quinata, media ternata, (rarius inferiora qnoque ternata,) suprema, quae paniculam intrant, unum vel aliquot simplicia. Foliolorum forma, qualis caulinorum, nisi quod ista paullo minora sunt, magisque ovata, et petiolulis densius pubescentibus, pube patente.

Rami paniculae inferiores, e superiorum foliorum axillis orientes, racemosi vel corymbosi, basi maiori vel minori spatio nudi; superiores vel corymbosi breviores, vel simplices. Bracteae angustae, nonnunquam trifidae. Pedunculi bracteolis minoribus suffulti, aculeis uncinatis armati, cum calicibus tomentosi.

Laciniae calicis acutae, a fructu maturo reflexae. Corolla mediocris, petalis staminibusque albis vel rubicundis. Fructus mediocres, atri, gratique saporis.

Haec Ruborum species multa formarum varietate ludit, quas, supra compendiose indicatas, nunc pluribus, quae ad distinguendas eas spectare videantur, persequemur.

In universum autem hae formae congruunt maxime: caule sterili parcissimis pilis vestito, immo vero, ubi soli omnino expositus nascatur, fere glabro, qua nota, quemadmodum a quinque praecedentibus speciebus huius sectionis ista longius recedit, ita magis ad glabrorum, in primo et secundo fasciculo illustratorum, similitudinem transire videtur. Nihilo tamen secius, cum pubescentia in huius caule sterili nunquam funditus evanescat, sed vel in glaberrimis saltem ad foliorum sedes et circum latas aculeorum bases, parca licet, remaneat, propriam esse huic Rubo censebamus et eam, quapropter necti debeat cum pilosorum divisione. — Secundo autem loco huic a praecedentibus distinguendo inserviunt folia, utpote quorum foliolum medium basin versus semper nonnihil latitudine decrescens et subcuneiforme inveniatur.

Igitur forma prima, seu Rubus vulgaris *α*. viridis, notas plurimas, quae speciei propriae sunt, in sese collecta refert et typum ostendit, cui differentia specifica inhaeret. Aculei huic satis validi, recurvi, triceni circiter; panicula semper e corymbis composita et valde patens; flores mediocres, albi.

Forma secunda, Rubus vulgaris *β*. umbrosus, aliquanto maior est praecedente, caule sterili crassiori, ad viginti pedes extenso, totoque rubente. Aculei contra isti minores sunt, duas lineas longi duasque ad basin lineas lati, rariores circiterque deni. Petioli communes et proprii longiores sunt (illi 4 pollices longi, horum medius sesquipollicaris) aculeisque valde aduncis armati; foliola lateralia oblonga, deorsum nonnihil dilatata; intermedia duo ovata, medium denique suborbiculare, extrorsum paullo latius et abinde longe cuspidatum; cuncta haec foliola in pagina superiori fere glabra inveniuntur et dilute viridia, subtus virescentia hirtovelutina. Caulis florigeri folia saepenumero ternata. Paniculae longae et angustae pedunculi superiores glandulis raris insperguntur. Flores mediocres, pallide rosei.

Forma tertia, Rubus vulgaris *γ*. glabratus, reliquis paullo minor est et tenerior, caule sterili subtereti aculeisque longis sed rarissimis, nempe quinis tantum. Foliorum extensio ut in forma priori, petiolo communi tripollicari, petiolo

proprio medio pollicari; foliolis lateralibus ovatis, intermediis late-ovatis, medio suborbiculato cordato; cunctis in pagina superiori glabriusculis dilute viridibus, subtus cinerascenti-pubescentibus et mollibus. Paniculae rami longi, patentes, pauciflori, superiores saepe uniflori. Pedunculi aculeis herbaceis longis rectis armati. Floris terminalis laciniae calicinae apice utplurimum in appendicem foliaceum incisum abeunt. Corollae mediocres, pallide rosei, staminibus albis.

Forma quarta, Rubus vulgaris δ. rhombifolius, quod ad figuram et magnitudinem caulis sterilis et aculeorum eius, accedit primae, sed statim in eo differt, quod aculeorum in singulo internodio non nisi dimidium numerum, quindenos scilicet, profert. Foliola lateralia et intermedia quinati folii ovato-oblonga sunt et acuta; foliolum medium insigniter rhombeum, nec ita longum tamen, sed longissime acuminatum; cuncta in superiori latere pilis brevibus rigidulis hirta, laetoque nitent virore, subtus vero pubescenti-tomentosa et mollia, cinerascunt, venis cum tempore costisque papulosis. Panicula conspicue flexuosa, ramis satis patentibus racemosis vel corymbosis apicem versus longitudine valde decrescentibus. Flores maiores, quam in reliquis huius speciei formis, petalis staminibusque roseis insignes.

Forma quinta, Rubus vulgaris ε. mollis, primae adhuc magis similis est. Caulis sterilis validus, late arcuatus, rubicundus, aculeis gaudet tricenis, sed rectiusculis, persaepe geminis ternisve ita aggregatis, ut fere verticillatim caulem cingant. Petioli communis pubescentia dense appressa; foliolorum quinorum exteriora oblonga sunt, intermedia ovata, medium obovatum videmus et deorsum evidenter cuneiforme leviterque cordatum; quae cuncta cuspidata, in ambitu subundulata, in pagina superiori glabriuscula saturate viridia, subtus villoso-tomentosa cana. Caulis florentis folia pleraque ternata. Paniculae angustae rami inferiores in plurimis elongati, triflori, reliqui breves et tantum non semper uniflori, quadrantem pollicis ad dimidium pollicem longi. Flores huius cum floribus primae formae conveniunt.

Crescit Rubus hic in Ducatu Mindensi, circa *Mennighüffen*, per sepes et dumeta vulgatissimus, abundatque praesertim illis formis, quas loco primo quarto et quinto enumeravimus; forma secunda eadem in regione, sed paullo rarius occurrit, v. c. intranti pascua, *die Buchenweide* appellata; formam tertiam, minime eam quidem vulgarem, in parochia Bergkirchensi inter *Sundern* et *Hedingsen* ad margines dumeti cuiusdam legimus.